1889. 1787

AD EPISTOLAM SYNODI WARSAWIENSIS,

Qva ab Illustrissimis & Reverendissimis D. D. Episcopis, Dissidentes in rebus Fidei ab Ecclesiâ Catholico-Romanâ, in Regno Poloniæ Magnoq; Ducatu Litvaniæ, ad amicum congressum, & Fraternam reconciliationem Thorunium invitantur:

Sicut & ad subseqvutum

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Ad eosdem Dissidentes eodem in negotio

DIPLOMA,

Ordinum Evangelicorum

RESPONSIO

Anno M D C XLIV.

A

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Archiepiſcope Gneſnenſis, Regni Primas, Primeq; Princeps, cæteriq; Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Regni & M. Duc. Lithv. Epiſcopi, Domini & Amici ac Fratres Noſtri obſervandiſſimi.

POſteaqvam rumor de Colloqvio in Cauſa Religionis inter Diſſidentes, ex Sententia Synodi Warſavienſis, Anno præterito celebratæ, ineundo, per Poloniam Lithvaniamq; ſpargi cæpit, cùm omnium hominum animos novitate rei tactos reddidit, tùm in Evangelicis (prout illi quibus aliquid dolet, in ſpem & metum prompti eſſe ſolent) ſpem geminam excitavit. Aut tempus ſub altero feliciſſimi Vladiſlaviani Imperij Decennio imminere, qvô iterum Deus ampliorem viam in Patria noſtra aperire velit illi cæleſti ſuæ Veritati, ad cujus inermem ſonitum tot Reges & Regna, tot Principes & Ditiones, tot Epiſcopi & Eccleſiæ olim ſteterunt, & ſoli Deo ſponte dederunt gloriam, qvot ullis armis, aut exercitibus, aut cædibus, ad Religionem compelli invitos potuiſſe, nulla unqvam ætas memoravit. Aut ſaltem illud veniſſe tempus, qvô prudentiſſimus Senatus Eccleſiaſticus ad ſacra Juramenta Regum, ad Generales Confirmationes Jurium, & ad unanimes Ordinum Confœderationes reſpiciens, cogitet & meditetur, eas à neglectu vel ſenio, qvod contraxiſſe videntur, vindicare, & in Evangelicos, toto hoc ſeculo nullo jure fatigatæ Patriæ reos, diverſis potiùs patientiæ experimentis fatigatos, abundantiora Paterni & Fraterni affectûs ſui, teſtimonia effundere, placidioremq; rebus eorum concedere temperiem. Sed cùm

jam ipsa Invitatio, nomine Illustrissimarum & Reverendiss. D. D. Vestrarum scripta, in lucem prodiret, illicò ipsa ejusdem, præsertim illa, quæ Vilnæ facta est, publicatio, spes nostras labefactare, & pro illis hanc cogitationem pectoribus nostris incutere cæpit, nè fortè eô res deducatur, Conscientiarum Libertate exuti, ad Ecclesiam, cui Majores Nostri justissimas ob causas renuntiârunt, qvoqvo modo retrahamur. Nam cùm Illustrissimæ & Reverendissimæ D. D. Vestræ, æquá Judicij lance negotium id expenderint, animadvertent in Patria nostra ad literas solâ Authoritate Senatûs Ecclesiastici emissas, in causa Religionis comparere, rem satis per se esse novam, & præjudicio non vacuam, ideò saltem molliori, moribusq; libertatis convenientiori modo, Nobis intimandam fuisse, judicabunt. Accedit, qvòd ex ejusmodi Invitatione, tam pius in reducendis nobis ad Ecclesiam Romanam in quorundam animis exarserit zelus, ut talem contra nos, Vitamq; Libertatem & Securitatem nostram, nisi nos reduci pateremur, sub clypeo Authoritatis Vilnæ evulgârint Libellum, qvalis non ab hominibus in Patrijs Legibus perfunctoriè (qvod etiam in bonis tolerandum qvandoq; est,) versatis, sed Patriarum Legum prorsus inimicis, proficisci debuit. Summam ergò æqvitatem & integritatem Vestram, Illustrissimi & Reverendissimi Patriæ nostræ Antistites, appellamus, an potuerit Nobis alia tum mens esse, qvàm qvæ liberis & pari Vobiscum sangvine cretis hominibus esse debuit, ut nimirum aut taceremus ad literas, aut denegaremus Nostri præsentiam? Sed provida S. R. Majestatis, Dni. nostri Clementissimi, Pietas & solicitudo, in remedium

medium ejusmodi doloris & contemptûs Nostri subsecuta est; Cujus Literas Regias Vilnæ, Mense Martio scriptas, & postea typis vulgatas, cùm alij Nostrûm præterito Mense Junio, alij subseqvente Julio, nacti essent, nec æqvum, nec amori & obseqvio, Nostro in Patrem Patriæ Nostræ consentaneum, esse duximus, si coram Sua Majestate Fidei & Religionis Nostræ rationem reddere hâc occasione recusaremus. Communicatis igitur, qvantum angustia temporis ferebat, non qvantū Rei magnitudo postulabat, inter Nos sententijs, ad diem D. Bartholomæo sacrã, ex Majori Minoriq; Polonia & M. D. L. huc Orlam convenimus; ut tum Regi, Domino Nostro Clementissimo, tū Vobis Amplissimi Præsules unanime à Nobis daretur Responsum. Cùm verò Regiæ Majestati omnes Nostras rationes plenissimè (prout ex adjuncto literarum exemplari patet) exposuerimus, idcircò Illustrissimis D. D. Vestris satis in ijsdem Nos respondisse arbitrati, Eas prolixitate seorsivi responsi non onerabimus: sed per omnia, tam universæ Christianitatis, qvàm Patriæ, qvæ Vestram Nostramq; complectitur salutem, sacra; & per illa magnæ functionis Vestræ Nomina in S. Scripturis radiantia, oramus & obtestamur, ut post Gloriam Dei, Pacem & Tranqvillitatem, & Libertatem Patriæ, more Majorum, conservetis & tueamini: alienissimūq; à sancta Vestra Functione statuatis, de eorum præjudicijs cogitationes & Consilia suscipere, qui pari Vobiscum fide & integritate, Vestris inoffensis Dignitatibus, pro Regibus & pro Repub. ubiq; steterūt. Hoc quoq; peculiariter à Vobis Illustrissimi & Reverendiss. Dni. obnixè petimus, ut illa gravamina, qvæ jam in Judicijs

 publi-

publicis, in causa Religionis in exemplum abierunt, eâ quâ possunt Authoritate coërcere, & in Urbe Vilnensi (ubi novos vexandorum Evangelicorum quæri & seri prætextus, hîc Orlæ certiores facti sumus) turbas & violentias Pietate & Consilio suo antevertere & inhibere velint. Sic nos in honore & observantia Dignitatis Vestræ, sic in studijs & obsequijs, quæcunq; à nobis Ordini Vestro reddi possunt, magis perseverabimus: Sic Vobis Patria & Posteritas laudem conservatæ Pacis publicæ debebit: Sic nomini Vestro exteræ Gentes assurgent, & felicis Prudentiæ Vestræ Exempla, si non imitari, certè in tacito pectore admirari & venerari cogentur: Sic totus Terrarum Orbis fatebitur, Religiosa bella, alibi ante duo ferè secula exorta, non desijsse: apud Nos ne incipere quidem potuisse.

Vale Illustrissime ac Reverendissime Primas, Regniq; Prime Princeps, cum universo Illustrissimorum Episcoporum Collegio. Datum Orlæ 3. Sept. Anno 1644.

Illustrissimarum ac Reverendiss. D. D. Vestrarum Amici & Frarres ad officia & servitia paratissimi

Evangelici ex Tribus Regni & M. D. L. Provincijs, in Conventu Orlensi congregati, quorum nomine subscribit

Janusius Radzivill.
Director.

SA-

SACRÆ REGIÆ MAJESTATI
DOMINO DOMINO

VLADISLAO IV. Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Severiensi, Smolenscensi, Czernihowiensi; nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; hæreditario Regi, Domino, Domino nostro clementissimo:

Nomine Evangelicorum, ab Ecclesia Catholica Romana, in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ Dissidentium, ex Colloquio Orlensi per Delegatos ipsorum die 24 Aug. habito, Anno Christi 1644. Humillimi Responsi Libellus.

MOlesti procul dubio S. Majestati Tuæ essemus, INVICTISSIME REX, vel quod mavis & mereris, OPTIME PRINCEPS, vel quod Tuæ Majestati maximè convenit; MITISSIME populorum Tuorum PATER, VLADISLAE, Domine, Domine Noster Clementissime, si ad literas Majestatis Tuæ Vilnæ datas, quas à miseratione Gentium, ob dissidia Religionis sub cladibus belli pereuntium, incipere ad Nos subditos Tuos, voluisti, Responsionem Nostram à celebratione virtutum, & rerum per Te feliciter gestarum, more in alloquendis Regibus usitato, vellemus exordiri. Nempe humilia Majestati Tuæ videntur illa,

la, quæ in Terras Tuas contulisti merita & beneficia: Jam altius assurgis, & quanto pietatis pignore cælum ipsum obligare Tibi debeas, augustâ Tuâ mente, quæ sola tantarum cogitationum est capax, circumversas. Ergò nec Victorias Tuas ex immanissimis partas, nec vitam pertinacissimis donatam, nec Pacem cum præmio belli elatissimis extortam hostibus, commemorabimus; sed Tuæ Bonitatis secuti exemplum, ad acerbissimas vicinorum populorum calamitates seriò sincereq; ingemiscemus. Licèt verò ad præsens, quò Europa ardet, incendium, multæ per intervalla annorum causæ concurrerint; originem tamen, aut certè prætextum, à Religione hunc ignem traxisse, nemo est qui ignoret. Cum enim non ratione, sed ferro, non divinis scripturis, sed cruentis edictis, decerneretur; cum non sanitas eorum, qui morbi arguebantur; sed internecio quæreretur; cùm alteri dare, alteri perdere nollent, illam, quam solius Dei imperio teneri, Cæsarum & Regum optimi dixêre, CONSCIENTIARUM LIBERTATEM: factum est, ut illos vincendi ardor, hos moriendi pro tali causa voluptas, in tam tristes rerum vicissitudines impulerit, ut mæstus & attonitus Christianus Orbis, timere incipiat, nè non cessantibus tantorum odiorum furoribus, mox desinant, tam qui vincere volunt, quàm qui victorum arbitria pati non possunt. Sed jam à retroactis seculis Divina miseratio benigniora de patria nostra cogitavit consilia, dum Sacris nostris Regibus Maternæ Divi Parentis Tui stirpis authoribus, tum & populis,

lis Eorum imperio subjectis, eam inspiravit mentem, ut & domi Græcæ Ecclesiæ à Latina diversitatem placidissimè ferrent, & foris dura illa aversarentur exempla, quæ in Vicinos, nullius in Deum blasphemiæ aut contumeliæ, vel tactorum Christianismi fundamentorum reos, sed tantùm Ecclesiæ emendationis cupidos (ut ex Catholicis illius & posterioris ævi scriptoribus accepimus) statuebantur. Et licet in gratiam alicujus rigidè aliquid sanxissent, nunquam id tamen suo Regali brachio exsequi, vel erroris insimulatos in gremio Reip. quæri, & ad supplicia trahi permitterent. Notamus & id, quòd eo maximè tempore tanto veritatis noscendæ studio exarserint, ut S. Bibliorum Codicem, ante in lingua vernacula vix visum, Anno 1455. Patrio idiomate in usum Sacræ Reginæ scripserint. Postea cùm altero seculo totus ferè Mundus in exitium eorum, qui (similem ob causam) ab Ecclesia Romana sese alienaverant, commoveretur; cùm Oceano & Adriatico mari adjacentia Regna Concilii Tridentini, primùm ex unius autoritate agendi, postea stabiliendi causâ, funesta inter se fœdera sancirent; sapientissimus Proavus Tuus SIGISMUNDUS I. & Filius ejus SIGISMUNDUS Aug. R.R. cum prudentissimis Ordinibus non tantum illis nexibus se suosq; implicari noluerunt, sed potiùs cum viderent sui suorumq; ab illo Concilio parvam rationem haberi, temporibus illis ad asserendam Regum autoritatem, ad lustrandas à Crucigeris (hominum genere religiosissimo) suas ditiones, ad promulgandas

 leges

Leges, brachio Sedis Romanæ ingratas, ſed Reip. utiles, deniq; ad permittendam conſcientiis hominum in Religione libertatem uſi ſunt. Cùm verò hæc Regum ac Majorum Noſtrorum providentia ac moderatio, non ſatis æquis judiciis traduceretur, adeò Ordines Reip. illa judicia non extimuerunt, ut ultimo Jagellone exſtincto, cùm Respub. liberrimam de Statu ſuo ſtatuendi haberet poteſtatem, non alud Tegumen (vel patrio noſtro ſermone KAPTUR) ſalutis & libertatis Univerſorum, quàm illam ſanctam, & omnibus vicinis invidendam *Pacis & Tranquillitatis Diſſidentium in Religione Chriſtiana Confœderationem* condiderint, ac Reges Suos non alio annulo, quàm, cui illa inſcriberetur, deſponſari ſibi voluerint; imò ne ulla poteſtas ſupra Reges ſeſe attollens tam grande ſolveret Sacramentum, meminiſti Rex invictiſſime, quibus verbis (verba enim illa, procul dubio, non in ſolo legum codice, ſed in Regio quoq; corde Tuo Divino digito inſculpta manſerunt) in fine Regii juramenti, proſpexerint. Quô unico remedio, non armis, non ſeditione, non poſt triſtia virium experimenta, ſed ante omnem diſſidii aleam, ſponte inter ſe conſtituto, non tantum Patriæ, tam vaſta Terrarum ſpatia, tam diverſas Nationes, Linguas, Leges, Mores, Ritus, Magiſtratus, complectentis, orbitatem ſub Interregnis, ab omni vi externa tutam, & ſecuram, ſed etiam Univerſorum Libertatem & tranquillitatem, domi inconcuſſam retinuerunt: & quod inter arcana Politica cenſeri poteſt, Religionem

Rom.

Rom. ac Eccleſiaſticam dignitatem & eminentiam, quæ nunc alibi ſub onere victoriarrm Catholicarum ægrè ſpirat, conſervârunt; & non quærendi, ſed ex ſuorum Regum ſangine, qui ſubditos Religione diſſidentes, ſed Fide & Obſequio concordes & pares, paterno affectu complexi ſunt, Principem vacantibus ſceptris ſumendi, genium & conſuetudiuem liberrimæ Genti inſtillaverunt. Hæ Polonorum & Lithuanorum fuerunt Artes: hæ Majorum Tuorum virtutes, quibus per integrum ſeculum Religioſi Belli facem à finibus ſuis arcuerunt. In quas cum Majeſtas Tua liberis Diſſidentium Religionum ſuffragiis ſucceſſiſſet, parum duxit eas potenter manu tenuiſſe: (quæ maxima eſt feliciſſimi Tui decennii gloria) ſed inſuper diverſos de Sacris ſenſus conciliare, & ad poſteritatem Fidei & Eccleſiæ unitatem transmittere inſtituit. Magnum opus, & non modò dignitate ſed Divinitate Regum, quam Vobis vox Dei communicat, dignum. Sed providendum, Domine Noſter Clementiſſime, ne inde maximas difficultates experiaris, unde minimè exſpectas. Cui non eſt ignotum, alteram partem, cùm alios non tantùm emendare, ſed etiam judicare velit, ſeipſam ad ullum æquilibrium demittere nolle? Tales quomodo ad juſtam & legitimam conciliationem permoveris? Conciliatores tanti operis Majeſtas Tua proponit Reverendiſſimos & Illuſtriſs. Regni & Mag. Duc. Præſules, Viros in Patria ſummos, meritis ampliſſimos: ſed an illis juramentum, ſedi Romanæ præſtitum, in quo

nec

nec Tui, nec Patriæ, nec Legum Reip: ullam legimus mentionem, impedimento ad Colloquium Liberum non sit futurum, judicio Majestatis Tuæ subjicimus. Insuper Præsidem Conventus Majestas Tua nominat, Virum Illustrissimum, & non minùs Episcopali Senatoriaq; dignitate, quàm probitate morum conspicuũ: sed quamvis alteri parti alter concederetur Præses (quod unicè in ejusmodi congressibus requiritur) quis tertius discordiam eorum compositurus esset? Præsertim si ad Colloquiũ non positâ certâ decernendi de Controversiis Regulâ, per Theologos utriusq; partis descenderetur. Nec latet Majestatem Tuam Regiã, quanti minora Ordinum, & Subditorum Tuorum desideria & postulata Romæ quandoq; fuerint habita. Optimè quoq; novit de ulla etiam minima re, sivè decimas, sive præscriptiones, sive commutationes concernente, Illustriss. Archiepiscopum Gnesnensem, licet Legatum Natum, & Primatem Regni, cum universo Illustrissimorum Episcoporum collegio, nullas conventiones, ne quidem cum Catholicis personis, & cum utilitate Ecclesiæ conjunctas, liberâ autoritate inire posse: imò (quod non invidiæ, sed necessitatis causâ scribi à Nobis coram Deo protestamur) gratitudinẽ quam Tuæ Majestati obviis ulnis tota nuper obtulit Respub. inconsultâ Sede Romanâ de propriis suis reditibus, qui alioquin in liberrima uniuscujusq; Ecclesiastici sunt dispensatione, æqualiter cum Concivibus suis concedere non potuisse: quamvis credamus illos, ne

ne vitæ quidem & sanguini suo, pro Tua Majestate, parsuros. Nec id adhuc oblivione sepultum, quod Scholas, Ingenia, Typographias, Fora domestica & externa, Comitia, Interregnum, fatigavit: nempe Academiæ Cracoviensis, tot Legibus & Privilegijs munitæ Libertatem & Pacem, tandem non domi, sed Romæ, tum ab Academicis exorandam, tum Autoritate Tua Illustrissimiq; Legati Tui prudentiâ, vindicandam fuisse. Taceri deniq; non debet, quod Annales nostri loqvuntur, quale Responsum ex ore Legati Romani, Regiæ aures, Abavi Tui, D. Cazimiri, ob dignitatem Ecclesiasticam præter mentem Summi Pontificis, à Rege collatam audiverint. Hæc & alia, quæ brevitatis causâ omittimus, quantula sunt, si cum proposito conciliandæ Religionis, in quo de Capite & Summa rerum necessariò tractandum esset, conferantur? Proinde, nùm alius ex congressu partium præsagiri possit eventus, quam quòd aut ipsi Conciliatores irreconciliabilem Sedem Romanam deinceps essent habituri, aut omnia quæ ab ipsis acta & transacta fuerint, ad unius Bullæ promulgationẽ evanescerent? Si enim Tridentina Sydus, non ausa est quicquam, sine cõsensu Sedis Romanæ statuere, quomodo Thoruniense Colloqvium, sine illo vel hiscere auderet? Dixerit ergò aliquis; Nos Subditos Majestatis Tuæ, Evangelicam Religionem professos, Sanctis Tuis conatibus, per ejusmodi terrores, obicem ponere, ut Nos à reddenda in publico Fidei Nostræ ratione subducamus?

 Ista

Ista quidem Invitatio, quæ Literas Majestatis Tuæ antecessit, (illa præsertim, cui Vilnæ etiam ignominia addita est, & contumelioso, jugulumq; Libertatis nostræ petente libello, confirmata) ita à Consvetudinibus Patriæ, Gentisq; Nostræ Liberæ Moribus procul abijt, ut nobis justissimam excusationis dare potuisset causam: Sed avertat Rex Regum Deus, ut hoc in subterfugium vertamus: imò per Eum, & per ejus gloriam ad quam & Hominem condidit, & Reges in solijs collocavit, Te Rex Clementissime oramus & obsecramus, ut propositum hoc Tuum, ad solos quidem Subditos Tuos ex Sacro ore Tuo emissum, sed jam universæ Europæ auribus exceptum, magno & constanti animo prosequaris. Memento Te illi Septentrioni regnare, in quo non minùs Libertas quàm Magnanimitas, fæcundum heroi corum exemplorum nidum à seculis posuêre. Exspectabat Terrarum Orbis unde alterum Regni Tui decennium exorsurus esses. Nunc jam audit & assurgit Pietati & Magnanimitati Tuæ, intentus quô evasura sint ista quæ mente præcepisti. Voluit simile Colloquium ante 86. annos D. SIGISMUNDUS AUGUSTUS; prompti erant ad comparendum Majores nostri: sed cur alterius partis autoritate diffutum id fuerit, scripta illo tempore edita loqvuntur. At quid impedit iterum id aggredi? Tuæ fortassis Majestati, Tuisq; temporibus, utramq; partem miserabiliter, ut ipse mones, attritam, ad cōsilia Pacis moventibus, hanc Fata reservarunt gloriam.

riam. Tibi ipsa Natalium Tuorum semina suggerunt hanc mentem, ut exemplo Avi & Proavi Paterni, laudatissimorum Regum Sveciæ; Exemplo præterea Jagellonidarum, & fortissimi Stephani, ac Genitoris Tui Optimi & Religiosissimi Principis D. SIGISMUNDI III. R. R. Insuper in augustissima Materna domo Tuâ, exemplo CAROLI V. FERDINANDI, MAXIMILIANI, RUDOLPHI, Cæsarum Aug: sub quibus Reformatio Religionis partim propagata, partim conservata est, non sis adversarius causæ, quæ apud Te diversimodè accusatur. Tibi deniq; Virtutes & Actiones Tuæ, apud utramq; partem rectitudinis & integritatis in hoc difficillimo negotio, fiduciam facient, quòd & suæ Catholicæ Religioni ubiq; satisfeceris, & in diversam, nec in acie, nec in foro gladium Tuum vaginâ eduxeris. Ibimus ergò, Rex Serenissime, quando nos Pietatis Tuæ auspicium vocaverit. Sed ibimus in conspectum Majestatis Tuæ. Cum enim videamus, nihil per XII. Theologos, imò nec per Episcopos, ob supra scriptas rationes de hac causa, in qua Reformatio Ecclesiæ (sine qua Conciliatio Religionum nulla) tangenda esset, liberè dici posse: Propterea, Regis, non per hominis, sed per Dei gratiam constituti & regnantis, præsentiam imploramus. Illuc cum Illustris. Episcopi, & Venerabiles Theologi, liberas & omni metu solutas Conscientias attulerint, & ad solius S. Scripturæ Regulam, ac primævæ Apostolicæ, Apostolicorumq; discipulorum, & sequentium

trium

trium ſeculorum Eccleſiæ mores, & inſtituta, & juxta qvatuor Oecumenica Concilia, Seq; Noſq; examinare & examinari voluerint, coram Tua Majeſtate, tanquam Uncto Dei, ſalvis illis, in quibus nati ſumus Libertatibus, cauſæ Noſtræ à principio Reformationis nunquam celatæ, aut in tenebris abſconditæ, ſed ſemper & ubiq; in lucem, ac potiſſimum in conſpectum Divorum Anteceſſorum Tuorum productæ, bonitatem, & Majorum noſtrorum, qui ab Eccleſia Rom. ſeceſſerunt, innocentiam, opi Divinæ fidentes, probaturi ſumus. Ut autem vis & fructus ſalutaris Tui propoſiti, in Ditionum Tuarum omnes Subditos, ac in vicinas Regiones, tali remedio potiſſimùm egentes, ſeſe effundat; humiliter à Majeſtate Tua petimus, ut tanti negotij, ſub oculis Majeſtatis Regiæ tractationē, ad proximum Ver aut Æſtatem differre dignetur, Ita & Illuſtriſs. Regni Primati, Illuſtriſſimiſq; Epiſcopis, extraneorum Epiſcoporum & Theologorum, in hac communi Cauſa, Conſilia & Sententias explorandi; & Nobis, quantulæcunq; Subditorum Tuorum parti, cum Exteris Eccleſijs eâdem Religione junctis communicandi, & earum Theologos, ad ſpectandam Virtutis & Pietatis Tuæ Magnitudinem, Salvo Conductu Regio (Civibus enim & Indigenis Reipub. præſidio Legum ſatis proſpectum eſt) evocandi; deniq; ſeſe ad Conventum præparandi & ſiſtendi, tempus concedetur. His poſitis, quandoquidem Majeſtati Tuæ Regiæ, ſolius gloriæ Dei amplificatio ſcopus eſt, magnam

gnam ſpem de Miſericordia Dei concipimus, Illum ſecundùm rectitudinem cordis Tui Regij, & candorem Illuſtriſſimorum D.D. Epiſcoporum omnia largiturum, & Tuam Majeſtatem Ordiniſq; Reip. in emendanda per Majeſtatis Tuæ ditiones Eccleſia, legitimaq; & primævis Chriſtianitatis temporibus conſentanea Hierarchia conſtituenda, pro exemplo Orbi Terrarum, Virtute ſuâ ex Alto adjuturum. Sed ne quiſquam ſuſpicetur (licèt id craſſiſſimæ eſſet ſuſpicionis) nos ideò præſentiam Majeſtatis Tuæ exorare, ut ſi fortè propter graviſſima Reipub. negotia præſens eſſe non poſſit, lucem & conſpectum hominum hoc prætextu evitemus; ideò adhuc ampliùs faſcibus Clementiæ Tuæ Regiæ Nos Noſtramq; fiduciam humillimè ſubſternentes, declaramus; Licet acerbiſſimum Nobis liberis hominibus ſit futurum, non coram Rege, ſed coram Præſidibus, rationem Religionis reddere, & periculoſæ ſiniſtrarum vel ambiguarum delationum, aut relationum, aleæ Nos Noſtraq; ſponte committere, nos ne id quidem refugituros: His tamen juſtiſſimis requiſitis priùs à Majeſtate Tua ſuppliciter exoratis. Primò, ut alteri Præſidi, ex noſtra parte ſuffragijs noſtris electo, par à Majeſtate Tua detur poteſtas. Alterum, ut non ſolùm vivâ voce, (cujus magnā vim agnoſcimus) ſed etiam ſcriptis, in quibus eſt efficaciſſimum contrà temerè negantes vel affirmantes, vel aliorſum ſeſe vertentes, remedium & teſtimonium, omnia ea quæ dicentur, parti à parte in Colloquio exhi-

exhibeantur. Tertiò, ut prorogatione temporis, prout ſuprà petijmus, clementer conceſsâ, menſura quoq; ejuſdem Colloqvij brevi aliquo temporis ſpatio determinetur: Noſtram enim tenuitatē imparem eſſe aliorum abundantiæ fatemur. Quartò, ne ſibi quiſquam aliquid in nos ſtatuendi aut decernendi poteſtatem uſurpet. Deniq; poſt quemcunq; Colloquij eventum, ut Nobis æquè ac alteri parti liceat Acta Colloquij publicare, ſine ullo in Autores, in Scripta, in Typographos & Bibliopolas, Legenteſq; pænarum metu. Verum enim verò, ſi tam juſta & paritati Colloquiorum debita, nobis negabuntur; aut ſi per promulgationem Charitativi Colloquij non Libertas & Pax Eccleſiæ, nec abuſum Emendatio, nec gloriæ Divinæ, ſed Autoritatis humanæ vindicatio, quæritur: Id certè nihil aliud foret, quàm ſi vocaremur, ut inſtar reorum per Confeſſionem, Noſtros, Majorumq; noſtrorum errores ac delicta expiaremus, & portam Rom. Eccleſiæ, quæ ut exeuntibus, ita redeuntibus ſpontè patet, reſerari nobis peteremus. Quod quidem Nos de Tuæ Majeſtatis bonitate opinari nefas ducimus: ſed multis experimētis contra Nos cauſamq; Noſtram ex leviſſima occaſione præſumi, e docti, ab adverſa fortuna veremur. hic ergò figimus pedem, & Libertatem Noſtram in Humilitatem, Jura in preces, Uſum & Conſvetudinem Immunitatum in Supplicationem vertentes, Majeſtatem Tuam Regiam, ad genua ejus provoluti, obſecramus. Primò, ut ponat ſibi ob oculos, quàm ſæpe non læta-

læta ſit Patria Noſtra ex illa Orientalium Rituum Eccleſiæ, pleriſq; invitis, reductione. Deinde, ut poſtulet à Nobis vitam, ſangvinem, & quicquid ab honeſtis & in Libertate natis hominibus poſtulari poteſt, id alacriter, pari cum Romano-Catholicis Fratribus noſtris Fide, Virtute & Exemplo (prout id ſemper & ubiq; à nobis Majoribuſq; noſtris, præſtitum eſt) pro Majeſtate Tua, & pro ſalute Libertateq; Patriæ, profundemus. Hoc verò Majeſtas Tua de Nobis nunquam à quoqvam perſvaderi ſibi patiatur, ut vel Vitæ precio contra Conſcientiam, & cognitam Veritatem, quicquam admittamus, vel paciſcamur. Nemo Nos hinc apud Majeſtatem Tuam pertinaciæ aut ingratitudinis accuſet, acſi Paternum Majeſtatis Tuæ affectum nobis liberaliſſimè in Literis declaratum aſpernemur. Qui Nos enim ſumus, ut tanti Regis amorem & benevolentiam humiliter non veneremur? At proſpicimus, ſi ejusmodi quale ſupra petijmus, & quale olim tempore Majorū Noſtrorū à Concilio Tridentino nō eſt obtentum, Liberū Nationale Concilium agi non poteſt, magis expedire, non Nobis ſolùm, ſed & Reip. ut hanc quam Regia Majeſtas ſuſcepit paternâ ſollicitudine curam, vertat ad avertendas oppreſſiones, gravamina & præjudicia, quæ paſſim Subditis Majeſtatis Tuæ juris prætextu, Religionis cauſâ, inferuntur; & ad conſervandam, & manutenendam illam Pacem ac Tranquillitatem, quam Sacro Regio Juramento ſpopondit. Sic quæ ſolatia & ornamenta communis in ſe Patria

Noſtra

Noſtra complectitur, ea ex Lege aureæ Æqualitatis quiſq; pro meritis ſuis à Juſtitia & Clementia Tuæ Majeſtatis, cor Regis Deo inflectente, exſpectabit: Si vero quid adverſi (quod ſub juſtiſſimo *T*uo Imperio non metuimus) imminebit; Nobis tamen precioſius erit in domo Luctus, cum bona Conſcientia verſari, quam in domum gaudij cum pudore & extremi judicij metu commigrare.

Hæc Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Dn. Dn. Noſter Clementiſſime, ad Literas Majeſtatis Tuæ Nos Subditi Tui, hîc Orlæ neceſſariò ad communicationem ſententiarum, ſine qua, nec Majeſtati Tuæ, nec Illuſtriſſimo Senatui Eccleſiaſtico reſponderi potuit, ex Ordinarijs Trium Provinciarum Synodis Evangelicis Deputati, humillimè reſpondemus; Ac Nos, Salutem, Libertatemq; Noſtram Majeſtatis Tuæ Clementiæ, & Protectioni commendamus & ſubjicimus. Regem Regum precati, ut plurimis Imperio Tuo additis Annis, dotes illas, quas in Majeſtatem Tuam, contulit, ad illuſtrandam Gloriam & Veritatem ſuam cæleſtem, & ad terrendos omnes Majeſtatis Tuæ & Patriæ Noſtræ hoſtes, adeoq; ad amplificandam Univerſi Orbis felicitatem, convertat. In quorum omnium fidem, humillimas iſtas Literas, Nobis conſentientibus & committentibus ſubſcribit.

Sacræ ac Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ
Fideliſſimus Subditus
&
Humillimus Servus

JANUSSIUS RADZIVIL,
Director Conventus.